

est pentagonus, ab eodem erit anima intellectiva, et sensitiva; sed intellectiva non est a generante, ut demonstratum fuit supra. Ergo nec sensitiva ». 2° « Quaecumque sunt idem in substantia, ab eodem principio educuntur in esse. Sed anima sensitiva, et intellectiva in eodem homine sunt idem in substantia, quia unius perfectibilis una est perfectio. Ergo si rationalis non est per generationem, videtur, quod nec sensibilis ».

187. Praeterea idem Seraphicus Doctor ita etiam argumentatur: « Quae simul corrumpuntur, simul etiam producuntur; ergo, pari ratione, quae simul separantur, simul et infunduntur. Sed, recedente in homine anima rationali, nullo modo remanet potentia sentiendi in corpore. Ergo sicut amittitur potentia sentiendi in recessu animae, ita infunditur in adventu. Non est igitur a generatione, sed a creatione ».

188. Obiic. Embrio, antequam anima rationali informetur, vivit, et animam habet. Ergo anima, prout est vegetativa, et sensitiva in homine, diversam ac prout est rationalis originem habet.

189. Resp. *Dist. ant.*, ita ut, adveniente anima rationali, maneat anima vegetativa et sensitiva, *neg. ant.*, ita ut haec abiiciatur, *conc. ant. Neg. cons.* Hic memoria recolendum est rem a prima forma substantiali in sua essentia constitui, et quidquid essentiae rei iam constitutae advenit, esse accidentale. Quocirca, si, manente anima vegetibili, vel sensitiva, ei adiungeretur anima intellectiva, haec inveniret subiectum iam in sua essentia constitutum; ac proinde anima intellectiva hominis essentiam non constitueret, sed accidentaliter animae sensitivae velut quedam eius perfectio adveniret; id, quod absurdum est ». Hinc s. Thomas haec docet: 1° In generatione animalis, et hominis plures sibi succidunt formae, ac proinde plures generationes ». 2°

<sup>1</sup> In lib. II Sent., Dist. XXXI, a.1, q. I, in opp. Ex his argumentis perspicitur, quare anima sensitiva in brutis, non vero in homine per generationem producatur. Etenim ex hoc, quod ipsa anima rationalis dat corpori esse sensitivum, sequitur, monente s. Thoma (In lib II Sent., Dist. XVIII, q. II, a. 3 ad 4), animam sensitivam in homine, et brutorum ad eamdem speciem non referri, ac proinde diversum esse illarum animalium originis modum. Cf *Contr. Gent.*, lib. II, c. 89.

<sup>2</sup> Loc. cit. — <sup>3</sup> Qq. disp., *De Pot.*, loc. cit.

<sup>4</sup> Cuius rei hanc rationem assignat: « Quanto aliqua forma est nobilior

Quoniam generatio unius est corruptio alterius, adveniente forma perfectiori, « fit corruptio prioris, ita tamen, quod sequens forma habet quicquid habebat prima, et adhuc amplius ».<sup>1</sup> 3° Quare in fine generationis humanae abiicitur anima vegetativa, et sensitiva, atque creatur a Deo anima intellectiva, quae simul est et sensitiva et vegetativa. « Primo inducitur anima vegetabilis; deinde, ea abiecta, inducitur anima sensibilis et vegetabilis simul; qua abiecta, inducitur, non per virtutem praedictam (nempe *virtutem formativam*, quae a principio est in semine), sed a creante, anima, quae simul est rationalis, sensibilis, et vegetabilis. Et sic embrio, antequam habeat animam rationalem, vivit, et habet animam, qua abiecta, inducitur anima rationalis »<sup>2</sup>.

190. Prop. 2°. *Repugnat animam sensitivam transmitti a parentibus, et postea fieri intellectivam per manifestationem ideae entis.*

*Probatur.* Abnormis est illa opinio, ex qua vel plures animas, sive formas substanciales in homine esse, vel animam intellectivam veluti corruptioni obnoxiam, et tamquam quamdam perfectionem accidentalem animae sensitivae advenire consequitur. Atqui alterutrum admittendum esset, si anima sensitiva transmitti a parentibus, et postea fieri intellectiva per manifestationem ideae entis dicatur. Ergo.

191. *Minor* ex D. Thoma ita demonstratur: Terminus actionis Divinae revelantis ideam entis aut est aliquid subsistens, aut non subsistens. Atqui si primum, anima, quae per huiusmodi manifestationem fit intellectiva, diversa secundum essentiam est ab anima praexistenti, nempe sensitiva, quae non est subsistens, ac proinde non una est in homine anima. Sin alterum, anima intellectiva ab anima sensitiva secundum essentiam non differret, sed quaedam esset eius perfectio, « et sic ex necessi-

et magis distans a forma elementi, tanto oportet esse plures formas intermedias, quibus gradatim ad formam ultimam veniatur, et per consequens plures generationes intermedias »; *Contr. Gent.*, loc. cit.

<sup>1</sup> I, loc. cit. Cf p. 209.

<sup>2</sup> Qq. disp., *De Pot.*, ibid. ad 9. Haec D. Thomae theoria hisce postremis annis probata est inter alios doctissimos physiologos a Vincento Santi, *Della forma, genesi, corso naturale e modi de' viventi*, Perugia 1855. Cf etiam Liveranum, *Su' principii del moderno Ippocratismo*, Fano 1859.

tate sequitur, quod anima intellectiva corrumpatur, corrupto corpore<sup>1</sup>.

192. Accedit 1° quod manifestatio ideae entis nonnisi animae intellectivae fieri potest, ac proinde animam intellectivam, ne-  
dum constituit, expostulat; 2° quod ex doctrina Ecclesiae Ca-  
tholicae anima intellectiva ex nihilo creatur<sup>2</sup>, non vero per ali-  
quam perfectionem animae sensitivae adiunctam producitur.

ART. V. *Animas ante corporis formationem non existere demonstratur*

193. Plato post Pythagoram<sup>3</sup>, et Empedoclem<sup>4</sup> censuit ani-  
mas ante hanc vitam terrestrem vixisse aliam coelestem, atque  
ob aliquod crimen, aliamve causam nobis ignotam, in terrena  
haec corpora detrusas fuisse<sup>5</sup>. Hanc Platonis doctrinam, quam  
secundum emanatismi sui placita Plotinus<sup>6</sup> evolvit, amplexi sunt  
Origeniani<sup>7</sup>.

194. Animarum praexistentiam alia ratione docuit Leibnitius.  
Eius sententia fuit, omnes animas simul cum mundo a Deo con-  
ditas, cum priorum corporum germinibus, quae in Adamo  
continebantur, coniungi, atque ex illis, ubi lapsu temporum cu-  
rinis corporis germen evolvitur, singulos homines constitui<sup>8</sup>.

195. Communis autem est Philosophorum, ac Theologorum  
opinio, humanas animas tunc a Deo creari, cum humano cor-  
pori coniunguntur, novusque homo genitus existimatur. Ut hu-  
ius postremae sententiae veritas patescat, sequentes propositiones statuimus:

196. Prop. 1<sup>a</sup>. *Animae humanae creatae non fuere ante corpora.*  
*Probatur.* In anima naturalis ordo ad coniunctionem cum cor-  
pore agnoscendus est<sup>9</sup>: quapropter, si anima, antequam cum

<sup>1</sup> I, loc. cit.

<sup>2</sup> Cf Em. Zigliara, *Summ. Phil.*, vol. II, *Psich.*, lib. I, c. 4, p. 132-133, Romae 1876.

<sup>3</sup> Cf Meiners, *Histoire des sciences dans la Grèce*, etc., lib. III, c. 4.

<sup>4</sup> Cf Karsten, *Empedoclis Agrigent. carminum reliquiae* etc.

<sup>5</sup> *Phaedr.*, p. I. Non convenit autem inter Platonis interpretes, utrum haec sint, ex sententia Platonis, historice, an mythice intelligenda. Vid. Van-Heusde, *Initia phil. plat.*

<sup>6</sup> *Enn.*, lib. I, c. 12. Hinc ipse, aliisque e schola neoplatonica diversa media hominibus adhibenda esse praeceperunt, ut a vinculis corporis ex-  
tricentur, atque ad coelestem pristinam vitam revertantur.

<sup>7</sup> Cf s. Aug. *De Civ. Dei*, lib. XI, c. 23.

<sup>8</sup> *Theod.*, § 90 sqq. — <sup>9</sup> Cf p. 175 sqq.

corpore coniungatur, creatur, dicendum est ipsam a Deo crea-  
ri, ita ut perfectione sibi naturali destituatur, imo ita ut in statu  
praeter suam naturam se habeat. Atqui hoc absurdum est, nam  
quidquid a Deo immediate producitur, in statu naturali perfecto  
producitur. Ergo animae, antequam cum corpore coniungan-  
tur, non creantur<sup>1</sup>.

197. Sed quoniam ii, qui animarum praexistentiam admit-  
tunt, naturalem animae esse unionem cum corpore inserviantur,  
praestat alia ratione eos refellere. Si anima naturaliter potuit in-  
cipere esse sine corpore, adsignanda est aliqua causa, propter  
quam ipsa, quae prius sine corpore erat, cum eo postea coniun-  
gatur; atque haec causa vel ab ipsa voluntate animae, vel ab ali-  
quo extrinseco est repetenda. Atqui neutrum assumi potest<sup>2</sup>.  
Non primum; quia si anima nullum ad coniunctionem cum cor-  
pore naturalem ordinem habet, profecto corpore non indiget;  
atque, si corpore non indiget, imo ex ipso, ut adversarii, contra  
quos pugnamus, contendunt, corum, quae prius scivit, obli-  
vionem patitur<sup>3</sup>, nulla ratio est, cur cum eo coniungi velit.  
Neque alterum; nato animae, corporisque coniunctio, quae ne-  
que ex natura, neque ex voluntate ipsius animae, sed a causa  
extrinseca proficiscitur, per violentiam animae illatam fieri  
dicenda est; et quoniam *omne violentum est contra naturam*,  
coniunctio illa tamquam aliquid naturae contrarium habenda  
foret; et ideo *homo, qui ex ulroque componitur, est quid innatu-  
rale, quod patet esse falsum*<sup>4</sup>.

198. Eamdem ob rationem, animam in corpus ad sui suppli-  
cium detрудi falsissimum est. Et sane, 1° ut scite argumentatur Angelicus Doctor, « poena bono naturae adversatur, et ex  
hoc dicitur mala. Si igitur unio animae, et corporis est quoddam  
poenale, non est bonum naturae; quod est impossibile: est enim  
intentum per naturam, nam ad hoc naturalis generatio termina-

<sup>1</sup> I, q. XC, a. 4 c. Ex quo arguento ratio infertur, cur anima, disso-  
luto corpore, existere perget, et tamen initium sua existentiae ante con-  
iunctionem cum corpore habere nequeat. Etenim « animam remanere  
post corpus accidit per defectum corporis, qui quidem defectus in princi-  
pio creationis animae esse non debuit » (loc. cit. ad 3); nam « non fuit con-  
veniens, ut Deus ab imperfectis suum opus inchoaret, et ab his, quae  
sunt praeter naturam »; *Ibid.*, q. CXVIII, a. 3 c.

<sup>2</sup> I, loc. cit. — <sup>3</sup> Cf *Ideal.*, c. I, art. 3, p. 189, vol. I.

<sup>4</sup> *Contr. Gent.*, lib. II, c. 83.

tur. Et iterum sequeretur quod esse hominem non esset bonum secundum naturam; cum tamen Geneseos 1,31, dicatur post hominis creationem: *Vidit Deus cuncta quae fecerat, et erant valde bona*<sup>1</sup>.

2° Anima coniunctionem cum corpore poenalem esse admitti nequit, quin graviora scelera haud iuste a principibus ultimo supplicio puniri sumatur. Ut enim egregie disputavit s. Cyrilus Alexandrinus: « Si ante corpus existens anima peccavit, et idcirco innexa est carni, quam ob causam lex graviora quidem peccata morte plecti, innocentem vero vivere permittit? Praestaret quippe permettere turpissimorum criminum reos diu in corporibus haerere, ut hoc pacto gravius punirentur; innocentes vero corporibus exsolvi, si poenae loco inclusae sunt animae in corporibus. Sed contra, morte quidem punitur homicida, iustus autem corpore nihil patitur. Non est igitur supplicii loco inclusa corpori anima<sup>2</sup>. »

3° Ratio poenae expostulat, ut qui ea afficitur, sciat ob quae-nam delicta puniatur, praesertim si poena ad emendationem rei infligatur; at in adversariorum hypothesi, qui animam corpori coniunctam rerum omnium, quas ante didicerat, oblivisci commiscuntur, nulla a nobis horum criminum cognitio haberi posset. Ergo inanis, imo etiam iniusta huiusmodi poena foret<sup>3</sup>.

199. Prop. 2°. *Absurdum est animas ab initio simul creatas, atque organicis corpusculis inclusas fuisse.*

Probatur contra Leibnitium: 1° Animal, quod ex anima, et corpore organico constat, per coniunctionem animae cum corpore organico generari dicitur. Atqui id falsum esset, si anima iam ab initio cum corpore organico coniuncta esset; iam enim existeret animal, et parentes nihil aliud efficerent, quam corporis molem augere. Ergo.

2° Anima praexistentes in corpusculis organicis vel facultate sentiendi tantum praeditae sunt, et ratione destituuntur; vel illae dumtaxat ratione ornatae sunt, quas Deus praevidit humanas futuras. Atqui utrumque, quod Leibnitius secum discrepans docuit, absurdum est. Ergo. Et sane quoad primum, « nulla forma substantialis recipit magis, et minus: sed superadditio

<sup>1</sup> Ibid. — <sup>2</sup> Lib. I in Ioan. c. IX.

<sup>3</sup> Origenianorum opinio variis Conciliorum canonibus ab Ecclesia damnata fuit. Cf Martin, *La vie future*, p. 2, c. 3, p. 223 sqq., Paris 1855.

maioris perfectionis facit aliam speciem; sicut additio unitatis facit aliam speciem in' numeris<sup>4</sup>. Quocirca si animae initio mundi rationearent, et deinceps a Deo ratione donantur, illud absurdum asserendum foret, nonempe aliam esse speciem animae in corpusculo organico praexistentis, aliam vero animae humanae, ita ut una, et eadem forma numero sit diversarum specierum<sup>5</sup>. Alterum vero analogiae legibus, quas Leibnitius tanti facit, omnino adversatur; siquidem analogiae lex expostulat, ut si una tantum ex animabus praexistentibus in corpusculis organicis ratione instructa fuit, etiam ceterae, quae eiusdem speciei sunt, rationales existimentur. Neque iuvat Leibnitium asserere eas animas, quae rationearent, corporibus humanis informandis destinatas non fuisse; nam ex hoc istae animae a ceteris discriminandae non essent, aequae ac plantarum semina, quae numquam in plantas evadent, a ceteris seminibus, quae in plantas succrescent, minime discriminantur<sup>6</sup>.

200. Prop. 3°. *Anima humana creatur, cum corpori infunditur*<sup>7</sup>.

Probatur. Anima humana, quemadmodum ostensum est, initium sui esse habere nequit, antequam cum corpore coniungatur, neque in corpusculo organico praexistere potest. Ergo tum creatur, cum corpori coniungitur. Id ex eo confirmatur, quod anima, ut s. Thomas inquit, est pars speciei humanae<sup>8</sup>; et quoniam pars est in ordine ad totum, animam tum creari oportet, cum hominis procreandi tempus advenit. Atqui homo procreatur, cum anima corpori coniungitur. Ergo anima tunc creatur, cum corpori coniungitur<sup>9</sup>.

<sup>1</sup> I, q. CXVIII, a. 2 ad 2. — <sup>2</sup> Ibid.

<sup>3</sup> Animarum praexistentia in corpusculis organicis propugnari minime posse videtur, quin Concilio Lateranensi V sub Leone X celebrato aperte contradicatur. Expresso namque in illo habetur animam rationalem pro corporum, quibus infunditur, multitudine singularem esse, multiplicabilem, multiplicatam, et multiplicandam. Si ergo pro corporum multitudine rationalis anima multiplicanda est, animae omnium hominum, qui ad finem usque mundi nascituri sunt, non fuere initio temporis a Deo creatae. Quippe si simul iam sunt creatae, multiplicatae quidem sunt pro futurorum hominum numero, at non multiplicandae.

<sup>4</sup> « Secundum Augustinum (anima) et infundendo creatur, et creando infunditur »; In lib. II Sent., Dist. III, q. I, a. 4 ad 1.

<sup>5</sup> Contr. Gent., loc. cit.

<sup>6</sup> Praestat totum articulum his s. Leonis M. verbis concludere: « Catho-

201. Circa tempus autem, quo anima corpori infunditur, non nulli docent id fieri in ipso initio generationis, cum germe fecundatur, vel saltem statim ac foetus ad aliqua opera vitae peragenda idoneus sit. At sententiae D. Thomae potiores partes deferendae nobis videntur, qui docet animam intellectivam creari, et corpori infundi in fine generationis<sup>1</sup>; nempe cum corpus ad debitum organismum corporis humani perductum fuerit. Nam « cum anima uniat corpori ut forma, non unitur, nisi corpori, cuius est proprius actus. Est autem anima actus corporis organici. Non est igitur ante organizationem corporis<sup>2</sup> ». Quapropter, cum anima rationalis sit forma corporis, cum eo non coniungitur, nisi corpus organismum corporis humani iam induerit; id quod in primo generationis instanti profecto non evenit.

## CAPVT IX.

## De animae humanae immortalitate

Iam postremo loco inquirendum nobis est, utrum, corpore dissoluto, anima una cum corpore dissolvatur, an perpetuo in vita perseveret.

ART. I. *Quaedam notiones praemittuntur*

202. Quid veniat nomine immortalitatis quisque ex se facile intelligit. Immortale enim illud dicitur, quod esse et vivere, seu operationes suae naturae consentaneas exercere perpetuo continuat. Porro Deus ita immortalis est, ut ex necessitate suae naturae existat; ac proinde ipsum non esse, et non vivere absolute repugnet<sup>3</sup>. Ex rebus creatis autem aliquid potest esse immortale per participationem, et quidem vel per naturam, vel per gratiam. Per naturam, quatenus etsi sit contingens, et proinde a Deo in suo esse pendeat, tamen, facta hypothesi suae existentiae, talis

lica Fides constanter praedicat, atque veraciter, quod animae hominum, priusquam suis inspirarentur corporibus, non fuere »; Epist. XV ad Turribium Asturicensem, n. 9 et 10.

<sup>1</sup> Cf p. 263. — <sup>2</sup> Contr. Gent., lib. II, c. 89.

<sup>3</sup> Evidens est hoc immortalitatis genus uni Deo convenire, siquidem Deus, cum sit a se, necessitate suae naturae sit oportet. Inde Apostolus de Deo dicit: *Qui solus habet immortalitatem*; I ad Tim., c. 6, v. 16.

est naturae, ut semper esse expostulet; seu non solum nullum in sui natura habet destructionis principium, verum etiam quibusdam naturalibus proprietatibus perpetuam eius conservationem postulantibus donatum est. *Per gratiam*, quatenus eius natura perpetuam durationem non postulat, sed ex mera Dei benignitate perenniter conservatur<sup>4</sup>. Immortalitas *per naturam* ad animam humanam pertinet<sup>2</sup>, quae proinde immortalis dicitur *tum intrinsecus*, quatenus nullum sibi corruptionis principium insitum est, *tum extrinsecus*, quatenus a vi externa destrui non potest.

203. Iam animarum immortalitati adversantur non solum veteres recentesque materialistae, qui animam cum corpore interire censem, sed etiam omnes ii, qui animam post hanc vitam conscientiam sui, praeceptorumque affectionum amittere arbitrantur; nam, secundum hanc sententiam, anima neque vitam suam continuaret, neque praemii, aut poenae capax esset. In horum censum veniunt<sup>1</sup> pantheistae, qui animam, dissoluto corpore, Divina substantia absorberi contendunt, ita ut vel ipsam illam individuam existentiam, qua in his terris frui saltem videbatur, prorsus amittat<sup>3</sup>; 2<sup>o</sup> hodierni propugnatores continui progres-

<sup>4</sup> « In illis, ait s. Thomas, quae sunt incorruptibilia per gratiam, subest possibilitas ad non esse in ipsa natura; quae tamen totaliter reprimitur per gratiam ex virtute Dei » (Qq. dispp., De Pot., q. V, art. 3 ad 9). « Hoc modo, subdit idem sanctus Doctor, homo in statu innocentiae fuisse incorruptibilis, et immortalis... Non enim corpus eius erat dissolubile per aliquem immortalitatis vigorem in eo existentem, sed inerat animae vis quaedam supernaturaliter divinitus data, per quam poterat corpus ab omni corruptione praeservare, quamdiu ipsa Deo subiecta mansisset »; I, q. XCIV, a. 1 c.

<sup>2</sup> Animam humanam *natura*, non autem *gratia*, seu solo libero Divinae voluntatis arbitrio, Divinaeque gratiae munere immortalem esse dicimus. Neque illud quemquam moveat, quod in Sexta Synodo Cnopolitana III approbatae fuerunt epistolae Sophronii, Patriarchae Hierosolymitani, in quibus tradebatur *intellectualia*, atque *invisibilia*, Angelos scilicet, et animam rationalem, immortalia esse non *per naturam*, sed *per gratiam*. Etenim hae, aliaeque similes loquendi rationes, quae apud PP. occurunt, non aliud praeseferunt, quam immortalem non posse esse animam, nisi libera voluntate Dei crearetur, eamque sortiretur naturam, cui immortalitas necessario conveniret; et proinde significant amovendam esse a natura animae illam immortalitatem, quae solius Dei propria est, siquidem sicut Deus habet esse a se, ita quoque independenter ab alio est immortalis; anima vero sicuti proprium esse recepit a Deo, ita quoque ab Eo naturale suam immortalitatem recepit; eamque cum dependentia ab Ipso retinet.

<sup>3</sup> Incredibilia prorsus videntur, quae his postremis annis, praesertim ab